



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

X. Genus alterum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](#)

## 192 BONA VOLUNTAS

refecabitur, ut flamis pabulum fiat: & homines tam insanè & impudenter impatientes, sicut oves in inferno ponentur, mors depascet eos.

X. *Genus* Alterum impatientium genus,  
*alterum.* Deo quidem parcit, at non sibi:

id est adversus Providentiam divinam directò non pugnat, sed indirectè, & per suum ipsorum latus. Isti simul in fortunum haud exspectatum incurvare, attoniti hærent, velut quos fulmen percussit: mox projecto animo, deposita omni de Deo fiduciâ, à solitis pietatis exercitiis cessant. Quibus optimè Bernardus suum illud, epistolæ 256. ad Eugenium Papam, accinuerit: *Numquid ideo debet homo facere quod non debet, quia Deus facit quod vult?* Pejori loco erunt, & ad primum impatientium genus accedent, si, ut calamitates exeant, ad malas artes confugient, nec tantum bona debita omittent, sed etiam mala vetita committent. Eum in modum Saül, ingruentium hostium metu percitus, posteaquam responsum à Deo nec per sacrificia, nec per yaticinia,

nec

nec per somnia signáve accepit, ad pytho-  
nissam consulendam profectus est. Ita  
Judæi, ab Assyriis sibi metuentes, ad um-  
bram Ægypti, vetante nequidquam Deo,  
refugerunt, &, ut biberent aquam flumi-  
nis, dereliquerunt veniam aquarum viven-  
tium Dominum.

XI.  
*Tertium.* Frequentiores multò sunt impa-  
tientes tertii gradus: qui nec Deū  
apertè impetunt, nec se metipso tam  
crassè lædunt, sed de rebus, temporibús-  
ve, cum indignatione conqueruntur.  
Immeritò tamen, cùm scire debeant, res  
omnes ac tempora, Providentiæ divinæ  
familiari: & noctes ac dies, frigus & æsta-  
tem, creata quælibet magna ac pusilla,  
benedicere Domino, quia faciunt verbum  
ejus. Obimurmurabat aliquando Maria  
Diazia, in Vita P. Baltassaris Alvarez, de  
frigoris hiberni inclemens: cùm illicò  
vocem intùs monentis audiit: ego frigus  
istud feci, tu de illo, quasi nimium esset,  
submurmuras? Ad eam classem perti-  
nent, qui opere, itinere, consilio, ex sen-  
tentia non succedente, bilem in animalia